

**CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES  
UNIVERSITY OF TORONTO**

*Ph.D. Level Medieval Latin Examination*

**8 September 1995**

\*\*\*\*\*  
Translate ALL passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is NOT permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. DO NOT USE PENCIL.  
\*\*\*\*\*

**1. Preface to a narrative of Alexander the Great**

In huius libri continencia rediuius fulminat Alexander, cuius egregie facta et eleganter dicta describit auctor iste. Dico quod auctor ille promittit se dicturum esse quidquid cedit ad decus Alexandri, unde habemus infra de Clito et Parmenione 'Sed que prouenerit illis talio pro meritis magis arbitror esse silendum.' Hanc uero hystoriam antiqui poete reliquerunt intactam uel propter inuidiam uel propter odium uel propter Romani nominis lesionem uel propter materie difficultatem. Propter inuidiam dico quia omnes Alexandro inuidebant propter sui probitatem. Propter odium dico quia Romani Alexandrum odio habebant. Illos enim pessundare uolebat, unde legitur Romanis eum scripsisse 'Si uenero, si uenero, si uenero.' Romani uero rescripserunt 'Si ueneris, si ueneris, si ueneris, inueneris nos rebelles.' Propter Romani nominis dico lesionem quia si aliquis Romanorum facta Alexandri, hostis eorum, descripsisset, suspectus forsitan haberetur et ita maliuolenciam eorum incurreret. Propter materie difficultatem dico quia gesta Alexandri ita erant lucida quod graue erat describere, et ideo intacta remansit hystoria.

## 2. Heloise to Abelard on the need for a new religious rule for women

Unam quippe nunc Regulam beati Benedicti apud Latinos feminae profitentur aequae ut viri. Quam sicut viris solummodo constat scriptam esse ita et ab ipsis tantum impleri posse tam subiectis pariter quam praelatis. Ut enim cetera nunc omittam Regulae capitula, quid ad feminas quod de cucullis, femoralibus et scapularibus ibi scriptum est? Quid denique ad ipsas de tunicis aut de laneis ad carnem indumentis, cum earum humoris superflui menstruae purgationes haec omnino refugiant? Quid ad ipsas etiam quod de abbate statuitur ut ipse lectionem dicat evangelicam et post ipsam hymnum incipiat? Quid de mensa abbatis seorsum cum peregrinis et hospitibus constituenda? Numquid nostrae convenit religioni ut vel numquam hospitium viris praebeat aut cum his quos susceperit viris abbatissa comedat? O quam facilis ad ruinam animarum virorum ac mulierum in unum cohabitatio! Maxime vero in mensa ubi crapula dominatur et ebrietas et vinum in dulcedine bibitur in quo est luxuria. Quod et beatus praecavens Hieronymus ad matrem et filiam scribens meminit.

## 3. John of Salisbury to Pope Adrian IV

In omnibus quae recte gessit bonitas uestra, nichil domino regi Anglorum gratius est beneficio quod Willelmo Cumin, fideli uestro, misericorditer inpendistis. Hoc autem nititur euacuare frater quidam nomine A. de Cerda (utinam melioris uitae et integrioris famae!) et maiestatem uestram leuitati et inconstantiae, quod absit, submitti desiderat. Rectius, pater, fuerat omnino non audire clamantem quam gratis destituere restitutum et absque culpa deicere legitime possidentem. Placeat ergo dignationi uestrae iuste conseruare quod misericorditer contulistis, et ipsum in petitionibus iustis clementer audire. De cetero, episcopus Lexouiensis malleus iniquitatis est ad conterendam ecclesiam Dei. Hic in me pauperem tantam regis coaceruauit indignationem, ut domino Cantuariensi et cancellario suo rex ipse denuntiauerit me maiestatem regiam minuisse, et ob hoc ab amicorum et fidelium numero excludendum. Auditis etiam litteris, quibus innocentiam meam uestra benignitas excusauit, mendosus ille et mendax dicere ausus est, 'Dominus papa scripsit quod uoluit; ego domino regi refero quod uerum noui.' Prouideat igitur michi pietas uestra, et regis gratiam studeat reformare.

#### 4. Abelard to Heloise on the scriptural precedents for women's authority

Nec nisi feminas Domino ministrasse Scriptura commemorat Evangelica, quae proprias etiam facultates in quotidianam eius alimoniam dicarant et ei praecipue huius vitae necessaria procurabant. Ipse discipulis in mensa, ipse in ablutione pedum humillimum se ministrum exhibebat. A nullo vero discipulorum vel etiam virorum hoc eum suscepisse novimus obsequium; sed solas, ut diximus, feminas in his vel ceteris humanitatis obsequiis ministerium impendisse. Et sicut in illo Marthae, ita in isto novimus obsequium Mariae, quae quidem in hoc exhibendo tanto fuit devotior quanto ante fuerat criminosior. Dominus, aqua in pelvim missa, illius ablutionis peregit officium, hoc vero ipsa ei lacrymis intimae compunctionis, non exteriori aqua exhibuit. Ablutos discipulorum pedes linteo Dominus extersit, haec pro linteo capillis usa est. Fomenta unguentorum insuper addidit, quae nequaquam Dominum adhibuisse legimus. Quis etiam ignoret mulierem in tantum de ipsius gratia praesumpsisse ut caput quoque eius superfuso delibuerit unguento? Quod quidem unguentum non de alabastro extractum, sed fracto alabastro memoratur effusum ut nimiae devotionis vehemens exprimeretur desiderium, quod ad nullum ulterius usum illud reservandum censebat, quo in tanto usa sit obsequio.